

possibile. Dicitur enim Danielis 7. capitulo¹⁹⁾: 'Dedit ei' — id estⁿ⁾ Christo — 'deus pater potestatem honorem et regnum, ut omnes tribus et populi et lingue illi serviant; potestas eius, potestas eterna, que non auferetur^{o)}, et regnum eius, quod non corumpetur.' Et Luce primo²⁰⁾ dicitur, quod regni eius non erit finis. Sexta ratio est talis: ille est verus temporalis dominus alicuius regni, qui habet ordinariam et plenariam potestatem iudicandi omnes qui sunt in suo regno; sed Christo datum est a deo omne iudicium facere non solum super vivos sed etiam^{p)} super mortuos; ergo et cetera. Minor probatur per verba Iohannis 5.²¹⁾, qui loquens de Christo ait: 'Pater omne iudicium dedit filio.' Et iterum q)²²⁾: 'Deus dedit ei' — scilicet Christo — 'potestatem iudicium facere, quia filius hominis est.' Agustinus in glosa²³⁾: 'Christo homini data est talis potestas.' Et Actuum x.²⁴⁾ dicitur de Christo: 'Hic est qui constitutus est iudex vivorum et mortuorum.'

cap. 62 De responsionibus ad argumenta.

His visis facilliter respondetur ad obiecta. Ad primum ergo est dicendum, quod Christus fuit rex temporalis et universalis, sed eius dominium non fuit ex populi electione nec ex alicuius superioris collatione sed ex divina infusione. Et ideo quia eius dominium fuit dominium infusum ideo dixit¹⁾: 'Regnum meum non est de^{a)} hoc mundo', id est ex mundialibus causis, ut exponit Thomas in glosa²⁾. Et sic patet solutio ad secundum. Ad tertium est dicendum, quod sicut dominium Christi fuit a deo infusum ita et coronatio et^{b)} inunctio, sicut patet in Psalmo³⁾. Etiam Adam, qui ex divina infusione fuit imperator mundi, tamen numquam fuit nec^{c)} coronatus nec inunctus. Ad quartum est^{d)} dicendum, quod Christus solvit tributum pedagiariis, non quia teneretur sed ut scandalum vitaretur⁴⁾. Unde Mathei xvii.⁵⁾ dicitur: 'Ne autem scandalizemus eos, mitte hamum' et cetera. Eodem modo ad vitandum scandalum eturbationem stipendariorum imperatoris voluit Christus, quod Iudei tributa redederent Cesari⁶⁾. Ad quintum est dicendum, quod Christus⁷⁾ fuit constitutus per deum iudex vivorum et mortuorum⁸⁾. Unde si voluisset poterat adulteram iudicare, hereditates dividere⁹⁾, quia, ut dictum est, pater omne iudicium dedit Christo homini, sed propter quandam decentiam de causis contentiosis noluit se intromittere, qui venerat misericordiam peccatoribus indulgere⁷⁾. Ad sextum est dicendum, quod Pylatus habuit potestatem super Christum a deo permissive, qualem potestatem dyabolus super Iob habuit, que nullum ius inducit, ut supradictum est.

n) id est] scilicet W o) aufertur B p) et B q) item W

¹⁹⁾ Dn. 7, 14. ²⁰⁾ Lc. 1, 33. ²¹⁾ Io. 5, 22. ²²⁾ Io. 5, 27. ²³⁾ Vgl. Gl. ord. in Bibliam, Migne PL 114, 378 f. ²⁴⁾ Ac. 10, 42.

cap. 62 a) ex W b) om. W c) om. B d) om. W

¹⁾ Io. 18, 36. ²⁾ Super ev. S. Ioan. lectura 18, 6, 4 (ed. Cai S. 440). ³⁾ Vgl. Ps. 8, 6 ff.; 20, 4; 44, 8. ⁴⁾ Vgl. CM cap. 575; ferner Heinrich von Cremona, De pot. papae (ed. Scholz, Die Publizistik..., s. o. Anm. 137, S. 468) und Egidius Spiritalis de Perusio, Libellus contra infideles (ed. Scholz, Unbek. Streitschriften 2, s. o. Anm. 171, S. 117). ⁵⁾ Mt. 17, 26. ⁶⁾ Vgl. Mt. 22, 21. ⁷⁾ Christus — indulgere vgl. Petrus de Palude, Tract. de pot. papae 207, 13—25. ⁸⁾ Vgl. Ac. 10, 42. ⁹⁾ Vgl. GA cap. 60.